

1528

ac, si se occasio obtulerit, nullo negotio vel populorum erga nos propensione, vel minime munitis urbibus, vel copiis nostris ea insidentibus, in nostrum sinum casura sint; aut si spes aliqua pacis affulserit, equiores, ac honestiores conditiones habituri simus. Cur igitur ultro urbes illas reddendas vobis suadent, ex quibus bello, & pace tot commoda sunt futura? Neque vero minora Pontifex consequetur, qui si probe animadvertisset, prudentiumque virorum mentem exquisivisset, non ea de causa Sypontinum Archiepiscopum Venetias misisset; neque ita vehementer a Senatu illa sibi reddi petivisset, quæ non minus Reipublicæ damni, quam sibi detrimenti essent allatura; cum milite, pecunia, atque omnibus rebus destitutus sit, quæ ad illas tuendas maxime essent necessaria, ut statim receptæ in potestatem Hispanorum concessuræ videantur. Atque iis si semel potiti fuerint, quibus viribus, ac copiis expellentur? Undique Ecclesiæ ditiones ab hostibus vexantur, crudele, atque intolerandum imperium in populos exercent, urbibus præsidia imponunt. Quid interest, his adjectis, an intra Romanæ arcis mœmia Pontificem detineant, an undique circumvallata illius ditione, Orbito includant? Hoc igitur Pontificia dignitas; hoc salus continetur? tot acta superioribus annis fuere, ut Reipublicæ impensis defensæ urbes, tutatæ provinciæ non Pontifici accedant, sed hosti cedant? Reipublicæ pietas, religio, vetera, ac recentia in Apostolicam Sedem merita, præmia Cæsareanorum sint? Quasi vero labores a vobis suscepti, copię terrestres, maritimæ classes ad sublevandam Pontificiam majestatem instructæ non exiguo hoc præmio dignæ sint? Non occupatæ Venetorum armis Ravenna, ac Cervia fuere, vestrum imperium per suos Oratores urbes implorarunt; populi expetiverunt; Clementis Nuntius postulavit. Quod si animos vestros cupido totius Flaminie potiundi occupasset, an dubium est, quin statim singulis oppidis, atque urbibus consentientibus, finibus Reipublicæ fuisset adjecta? Testes Forolivienses, qui ut in vestram clientelam reciperentur, obnixè rogarunt; testes Bretinorenses, qui aliquando vestris sub legibus florere; testes denique Ravennates ipsi, ac Cervienses, qui Pontificiorum Præfectorum pertæsi ad vos supplices confugerunt, ut in suas urbes Veneti magistratus mitterentur, flagitarunt. Sed